

» zizaniae procurante, dilecti filii nobilis vir Joannes Mocenigo dux  
» et Consilium et Commune Venetiarum (quibus nulla gerendi belli  
» occasio antea data fuerat) propugnacula quaedam erigendo pri-  
» mi contra mandata nostra praedicta venire et hujusmodi pacem  
» in Italia turbare coeperunt. Et cum dilectus filius nobis vir Her-  
» cules dux ferrariensis propugnacula hujusmodi intra ferrariensis  
» territorii fines ad quintum ferme miliare constructa fuisse con-  
» quereretur, nos qui adduci non poteramus ad credendum eos-  
» dem venetos, quos nostrorum rerum atque honoris nostri et san-  
» ctiae sedis apostolicae defensores non offensores reputabamus,  
» praemissa in nostrum contemptum et poenarum apostolicarum  
» elusionem fecisse, eos ad removendum propugnacula praedicta  
» enixe hortati fuimus. Qui intra suos fines et terminos illa consti-  
» tuisse et ferrariensem ducem praefatum pacta a majoribus suis  
» servata violare et servare nolle responderunt, nobisque suase-  
» runt nulla ratione in bellum aut in Ferrariam occupandam, sed  
» in fines suos et jura tutanda animum habere. Quamobrem cum  
» propter ipsorum propugnaculorum constructionem innovatum  
» fuisse diffiteri non posset, quamvis ad censurarum et poenarum  
» in litteris nostris praefatis contentarum promulgationem proce-  
» dere potuissemus, et ut id per nos fieret pro parte ejusdem ducis  
» ferrariensis cum instantia requisiti fuisset: tamen cupientes  
» hujusmodi discordias paterna charitate sopire et ignem extin-  
» guere non augere, exhortati fuimus ipsum ducem ferrariensem ad  
» pactorum sicuti majores sui fecerant observationem, qui eadem  
» illa se observaturum venetis praefatis obtulisse rescripsit. Et cum  
» ipsi veneti, non eo modo ducem ipsum ferrariensem eis obtulisse  
» nobis significassent, ne quid ad compositionem inter eos faciendam  
» deesset, misimus eisdem venetis verborum formam in scriptis,  
» quam ipse dux ferrariensis observasse et observare velle nobis  
» scripserat. Quod ab eisdem venetis denegabatur, et ob id ipsius  
» ducis ferrariensis et potentatuum Italiae, cum quibus confederatus  
» erat, oratores ad nos et sedem apostolicam destinati promissionem